

In sanciano sinarum Insula
et pie honorati

diu occulti, recens inventi
grata memoria



De Rochefort fecit.

A. Lapis sepulchralis.

Ulisipone 1734.



Efunctum in Sanciano XAVERIUM pro sua erga tantum Virum veneratione Lusitani maximo, quo potuerunt, honore tumulârunt. At indignum rati jacere inter alienigenas Indiarum Apostolum, calcem vivam cadaveri superfuderunt, ossa secum prima occasione asportaturi. Et jam profectionis instabat dies, quando aperto loculo XAVERIUS spiranti similior, quam mortuo stupentibus apparuit, ipso ne quidem vestitu vel minimum læso. Prodigiosum igitur thesaurum Malacam deferunt, inde Goam regiam Indiarum Metropolim, ubi summo apparatu, & omnium veneratione exceptus in argentea theca gloriosum offert sepulchrum. Et hoc quidem monumentum Goæ merebatur Orientis Apostolus. Nunc verò aliud ipsi in Sanciano erigitur, gratæ videlicet memoriae pignus, in invento nuper tumulo, qui mortuum excepit, & integrum reddidit, victorémque nunc ostentat in sepulchrali Lapide, ceu Trophæo ad æternam memoriam erecto.

Anno igitur à Partu VIRGINIS supra millesimum sexcentesimum octogesimo octavo decima Junii Andreas Vieyra Coelho Macaum, ad cuius Pra-

Præfecturam erat destinatus, vehebatur; quando ventorum vi ab ortu furentium fidam jaciendæ anchoræ stationem quærere cogitur. Nec alia aut securior, aut vicinior occurrebat, quam Insula Sancianum dicta, quæ naves quamplurimas suo sinu recipere potest, eisque contra Eurum, & Aquilonem, & irruentes aliunde ventos tutari. Et hæc quidem Insula olim inculta, nunc à Sinis habitata culturam exercentibus, Lusitanis aliquando ad commercium sinicum serviebat, donec Macaum pro latronibus expulsis in habitationem ipsis tanquam præmium donaretur. Hic ergo Præfector Macaënsis per octiduum in anchoris stetit dum ventorum impetus remitteret.

Atque hanc naëtus occasionem P. Carossius è Societate JESU, qui eadem navi ferebatur, suam erga Divum XAVERIUM pietatem ardentis studio exeruit. Quippe ejus tumulum inquirere usque adeò in animum induxit, ut eodem Navarchum, et Vectores omnes pio zelo impulerit. Igitur collectâ in hunc finem eleemosynâ Insulam scapha petit, per pagos discurrit, & è Senioribus incolis peritum aliquem naëtus Insulam pene totam per arbusta, per petras sollicitus perlustrat, donec tandem ad eumdem locum pervenit, ubi Sina interpres, quâ nutibus, quâ verbis consortis sanctum quemdam Virum sepultum fuisse indicat. Planities erat modica ad pedem montis, qui molliter acclivis sursum porrigebatur, arboribus passim consitus, & hortis exultus. Ex hac ad mare descensus difficilis, & præruptus. A parte australi ascensum præbent congesti gradatim lapides, ibidem è rupe prorumpit fons limpidissimus. In hac igitur planicie Lapis occurrat sepulchralis quinque circiter cubitorum longitudinis, duorum verò latitudinis characteribus Lusitanis & Sinicis inscriptus, qui XAVERIUM, Virm Apostolicum, ibi tumulatum fuisse affirmabant. Mira tum exultatio in Patre Carosso. Sina autem aliquot nummis argenteis donatus admodum lætus se recepit. At Lusitani ad inventi tumuli nuntium certatim Insulam petere, quisque pro suo erga Apostolum affectu in genua se prosternere, humum, quæ sacrum Cadaver contigerat, osculari, ex ea secum pulverem deferre, sacri Corporis ibi tumulati prodigiosam integritatem secum memoria recolentes. Hoc exemplo invitati Sinæ ipsi incolæ, qui frequentes accurrerant, magnæ pietatis indicia præbuere. Quin etiam ex Anglica navi, quæ Præfectorum Macaënsim ceu viæ ducem fuerat secuta, plurimi in Insula-

fe-

fecere exscensionem, ibique tum XAVERII fama, tum Lusitanorum Sinarumque exemplo permoti, jam flexis genibus, jam impressis tumulo osculis suam erga Divum XAVERIUM venerationem exhibuere. Porro ad reddendas pro reperto thesauro grates, ara erigitur, divinum offert Sacrificium, in quo magna omnium eluxit pietas perstrepentibus interim ab exultante Insula bombardis, ex utraque verò navi majoribus tormentis certatim respondentibus. Consilio autem inito quid in præsens ageretur ad tumuli integritatem, memoriāmque servandam, visum est omnino expedire, ut calce & faxis compactus murus per quatuor tumuli latera intrinsecus attolleretur, & cubito emineret altior ad propellendas scilicet aquarum alluviones. Quem etiam in finem duos alveos hinc inde foderunt, quibus affuentes in monte torrentes exciperentur. Sepulchralem verò lapidem, ut eminus apparet, ad perpetuum tumuli signum erexerunt, & à fronte supra tumulum aram ipsam, nempe oblati Sacraficii testem deposuere. Sinis incolis ad omne opus manūn materiāmque impigrè præbentibus, qui licet mercede conducti laborem impenderint, suam nihilominus proprio instinctu reverentiam exhibent, hortos quidem circa ejus tumulum excolentes, at nullas præ veneratione ædes ausi unquam attollere, quod eum locum, Sancti Viri sedem, & habitationem esse dicant, unde hortis adjacentibus à tumuli vicinitate haud parum fertilitatis putant impertiri; atque utinam Divinæ lucis fructus eis aliquando impertiatur! Demum ne ab hoc sepulchrali monumento fine ullo grati animi pignore abscedamus, hæc ipsi Epigraphe in opinione æternum inscribitur:

Dominus) Um Lapis hic jacuit, tumuli pia fama jacebat;
Nunc Lapis exurgit, nunc pia fama volat.

Sta Viator ad victoriæ monumentum;
Huic stationi tutò fiditur anchora.

XAVERII tumulus mortem novit vincere, non timere.
Armatum excipit inermis, ut melius vincat.

Irrum-

Irrumpit illa viæ calcis ignita aculeis,
Favillas minatur, & cineres.

At omnia reddet XAVERII niveus candor.

Tu qui navigas, si hunc viæ ducem sequeris,
Portum salutis, spondeo, securus tenes.

FINIS.



De Rochefort facit. Ulixipone. 1714.